

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagratia <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Clavsvra

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

& rationalis, & ad mentem S. Cong. sit ap-  
 probatus. Unde in horum fidem presentes fieri  
 mandavimus, manu nostra subscriptas, & sigillo  
 Officij nostri munitas. Dat. Romæ 6. Martij  
 1615.

F. Clemens à Noto Procurator  
 Generalis.

Quod si Confessarius onus præsentandi  
 in se recipiat, præter alias peccati circum-  
 stantias, quæ speciem mutant, explicabit  
 etiam peccati frequentiam, & temporis  
 diuturnitatem, proximas peccandi occasio-  
 nes, & pœnitentis conditiones, quæ ad rem  
 faciunt, ita tamen cautè, ne peccator dete-  
 gatur: sic enim Superior in concedenda fa-  
 cultate facilior erit, & de singulis instrua-  
 ctus, aptiora & opportuniora præscribet  
 remedia. Homob. de cas. res. p. 1. c. 6. confor-  
 miter nostris olim Generalibus Ordinationi-  
 bus.

## CLAVSVRA.

79. Obligatio Regularium ad Clausuram.
80. Clausura qualis apud Capucinos.
81. Clausura Sanctimonialium.
82. Quoad egressum earum è Monasterio.
83. Quoad ingressum Virorum ad illas.
84. Nominatim de FF. Min. secundùm Re-  
 gulam.
85. Clausura Hospitiõrum Sanctimonialium.

86. Litte

6. *Licentia ſpecialis Apoſtolica pro Minoritis.*  
 7. *Accellus ad Monafteria Monialium.*  
 8. *Quomodo conſellus Capucinis.*  
 9. *Eiuſdem Praxis:*  
 10. *Speciatim quoad Itinerantes.*

**R**eligioſi omnes, quicumque illi ſint, obligantur ad habendum aliquod genus Clauſuræ in Clauſtris & Monafterijs ſuorum Ordinum. *c. Placuit. 2. 16. q. 1.* Quo Religioſi iubentur ſuo contentos eſſe Clauſtro, quia ſicut piſcis ſine aqua caret vitæ, neque ſocietate, ita ſine Monafterio Monachus. Specialiùs rem iſtam attingunt duæ Conſtitutiones Pij 5. vna circa Monafteria Virorum; altera, Mulierum. Prima ſub dato 4. Oct. 1566. incipit: *Regularium Perſonarum.* Per quam, Excommunicationem Papæ reſeruatam incurrunt quæcunque fæminæ ingredientes Monafteria Virorum; Religioſi verd, qui eas intra ſua Monafteria intrmittere vel admittere præſumunt (P. Sorbo in *Comp. Priu. ad V. Ingredi Monafteria.* etiam illos vult intelligi, qui, poſtquam ingreſſæ fuerint, cum eis loquuntur ac aſſociant deambulando) præter excommunicationem Papæ reſeruatam ex *Conſt. Greg. 13. Vbi gratia.* incurrunt ipſo facto

LXXIX:  
 Clauſura  
 Regulæ  
 rium.

suspensionem à Diuinis, & præterea priuationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda. Et his pœnis ipse Pius 5. aliâ constit. editâ 1570. die Iulij 16. quæ incipit: *Decret Romanum Pont.* Subijcit tam fœminas ingredientes, quam Religiosas illas ingredi permittentes, etiam si sine vlllo prætextu facultatum ingrediuntur & admittantur. Fœminas tamen quandoque excusari posse, non solum ob bonam fidem, verum etiam ob Ignorantiam vincibilem, crassam, supinam & affectatam, tradit P. Eligius V. *Clausura.* 15. cum iuxta Bonac. & alios, ad incurrendam hanc excommunicationem, requiratur audacia, scientia, vel ingens temeritas, quæ scientiæ comparetur.

Sunt in Morali doctrinâ Viri plurimum laudati, qui asserant Horum Pontificum mentem fuisse, solum paci & quieti Regularium prospicere, contra quorum instituta, mulieres quandoque non sine ipsorum molestia, Priuilegiorum prætextu ad eorum Monasteria ingredi præsumebant, ne utiquâ verò, condito nouo jure talem ingressum prohibere. Hanc sententiam *Laym. l. 4. Theol. Mor. tr. 5. c. 12.* adscribit *Rodrig. Soar. & Philiarcho*, vocatque valde probabilem, ac recitans verba propria *Soar. ex 10. 5. de*

Cens.

*Cens. d. 22. f. 6. Nec in communi jure Pontifici-  
habilitatio, inquit, neque in alijs Pontificum decretis  
obtinendi inuenio generalem legem prohibentem ingref-  
sum mulierum in Monasteria Virorum sub mor-  
tali: neque etiam ex natura rei, aut ex ipsa Pro-  
fessione video in hoc actu per se, & intrinsecam  
malitiam: Et ideo non existimo in vniuersum  
esse hoc peccatū mortale, si excludantur circum-  
stantie prauis finis, scandali, violentia, iniuria  
Monasterio illata. Consulenda igitur sunt pe-  
culiaria statuta ipsarum Religionum, quæ ple-  
rumque esse solent, vt ad interiores domos seu  
habitationes intra Monasterij vel Collegij clau-  
stra femine non admittantur. Sic illi.*

80. Super his cum varia moueretur à No-  
stris dubia, plura etiã per Ordinis Procura-  
tores è Curiã Romanã acceperunt responsa,  
quæ referuata tenentur in Archiuo Prouin-  
ciæ. Vnum est, quod etiam refert P. Sorbo  
loco *suprac.* quo Illustrissimus Card. Alexan-  
drinus, nomine aliorum etiam Card. Con-  
greg. Patribus Ordinis nostri *An. 1584.* res-  
pondit, in Monasterijs seu locis, quæ sunt  
in fieri, vel in quæ, dum fabricantur adhuc,  
Conuentus ad ibi morandum non fuerit  
introducendus, sed solum ibi aliqui habitave-  
rint fratres pro fabricæ potius seruitio,  
quàm aliter, clausuram nullam esse talem,  
vt si mulieres intrarent, pœnas propterea

LXXX.  
Claufura  
Caput.

in ſupradicta Conſtit. contentas iucn-  
rent. Idemque debere dici de domibus ſeu  
Infirmarijs in ciuitate poſitis, cum nec Ec-  
cleſiam, nec Conuentum habeant. Voluit  
tamen D. Card. Protector in Pœnitentiam  
priuari modò dictos fratres, qui vel intro-  
duxerint, vel non expulerint fœminas à lo-  
cis, quæ ipſi fratres inhabitant; vt reſcriptit  
P. Procurator 19. Mart. 1588. referens vni-  
Declarationem aliam S. Congreg. Clauſu-  
ram, ad effectum incurrendi dictas cenſu-  
ras, eſſe in locis vbi Guardianus eſt cum fa-  
milia, etiamſi necdum abſoluta ſint, vel cir-  
cumdata muro, foſſâ vel ſepe. Si tamen  
conſuetudo ſit, vt mulieres inferuiant ope-  
rarijs ferendo calcem, ſaxa & ſimilia, poſſe  
eaſdem intrare non ſolùm hortos, verùm  
etiam ipſa Monasteria, quæ conſtruuntur,  
modò non adeant ea loca, vbi fratres habi-  
tant, manducant & dormiunt, & antequam  
introducã ſit Clauſura, vt habet alia inſu-  
per declaratio dictæ S. Congreg. die 18. Apri-  
lis 1605. per quam etiam committitur Patri-  
bus designatio terminorum Clauſuræ, quo-  
uſque mulieribus liceat ingreſſus vel tran-  
ſitus. Conſule ſuper his Conſtit. Ord. c. 11. in  
fine. & Comp. Priu. l. c. & ceſſare videbis  
apud nos, quæ in fine ſuperius n. ex Laym.  
recitata ſunt.

Vide Ga-  
uant. in  
Manual.  
Epiſc. V.  
Regul. Vi-  
ror. Mo-  
naſt. n. 10.  
C. 11.

81. Altera Constitutio Pij 5. De Monasterijs Monialium incipit: Circa Pastoralis. Editæ An. 1566. quâ confirmando & innouando Constitutionē Bonifacij 8. & Concil Trid. Decretum, statuit, qudd si aliqua Moniastres forsan reperiantur, quæ consuetudine libertatem inmemorabili, aut instituto, vel fundatione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato, huic clausuræ resistant, Ordinarij vnâ cum Superioribus earum, omnibus juris & facti remedijs, compellant easdem tanquã rebelles & incorrigibiles, ad præcisè subeundam dictâ Clausuram, & perpetuò obseruandam. Mulieres quoq; quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cuiuscunque fuerint Ordinis, in Congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad Clausuram eandem & ipsæ teneantur, Quodsi votum solemne nõ emiserint, Ordinarij vnâ cum Superioribus persuadere studeant, vt illud emittant, ac post emissionem eidẽ Clausuræ se submittant, aliàs autem omninò non recipiantur.

82. Idem Pius 5. in Constit. Decori & honestati, An. 1569. editâ, ait: Vnde nos inhaerentes Decreto S. Conc. Trid. de Clausura Monial. disponenti, ac alijs nostris litteris super huiusmodi clausurâ editis adijcientes, volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum,

LXXXI.  
Clausura  
Monialium.

LXXXII.  
Clausura  
Monial.  
quod Egressum.

Priorissarum, aliarumue Monialium, quorum-  
 cunque Ordinum, de cetero, etiam infirmitatis,  
 seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiecto-  
 rum, aut domorum, parentum, aliarumue con-  
 sanguineorum visitandorum, aliaue occasione,  
 nisi ex causa magni incendiij, vel infirmitatis,  
 leprae, aut epidimiae, quae tamen infirmitas, pre-  
 ter alios Ordinum Superiores. quibus cura Mo-  
 nasteriorum incumbet, etiam per Episcopum seu  
 alium loci Ordinarium, etiam si praedicta Mona-  
 steria ab Episcoporum & Ordinariorum juris-  
 dictione exempta esse reperiantur, cognita &  
 expresse in scriptis approbata sit, à Monasterijs  
 praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra  
 illa, nisi ad necessarium tempus stare licere: ali-  
 ter autem, quam ut praefertur egredientes, seu  
 licentiam exeundi quomodocunque concedentes,  
 necnon comitantes, ac illarum receptatrices Per-  
 sonas, siue laicas vel seculares, aut Ecclesiasti-  
 cas, consanguineas vel non, excommunicationis  
 Maioris latae sententia vinculo, statim eo ipso,  
 absque aliqua declaratione subiacere, à quo pra-  
 terquam à Romano Pont. nisi in mortis articu-  
 lo, absolui nequeant: Et insuper tam egressas,  
 quam Praesidentes, & alios Superiores praedi-  
 ctos, eis licentiam huiusmodi concedentes, dig-  
 nitatibus, officiis & administrationibus per eas  
 & eos tunc obtentis, priuamus, & ad obtenta,  
 & ad alia in posterum obtinenda, inhabiles fo-  
 re, decernimus, &c.

83. Pra-



83. Præfatus Pontifex, etſi ſpeciale  
 curam habuerit ſtrictiſſimæ Clauſuræ San-  
 ctimonialium, vt ex allatis textibus liquet,  
 circa ingreſſum tamen ad eas, aliud non or-  
 dinauit, quàm in allegata Conſtit. *Cura Pa-  
 ſtoralis.* confirmare & innouare decreta  
 aliàs facta à Bonifac. 8. & Trid. Conc. quo-  
 rû ille *c. vnico. de ſtatu Regul.* prohibet qui-  
 buſcunq; Perſonis, hoc eſt, cuiuſcunq;  
 ſexûs, ne ſub quouis prætextu ingredian-  
 tur, vel accedant ad Monasteria Monialiû,  
 abſque cauſa rationabili, & ſpeciali licen-  
 tiâ Superioris, ad quem pertinet illam con-  
 cedere. Cui Pontifici Conc. Tridentinum  
 inſiſtens, renouauit eandẽ prohibitionem,  
 addendo excommunicationem ipſo facto  
 contra tranſgreſſores. Sed vterius Greg. 13.  
 An. 1575. videns multas Perſonas, ſe, ſub  
 prætextu quarundam licentiarum, poſſe ad  
 Moniales ingredi exiſtimantes, quaſlibet  
 reuocauit, ac omnibus etiam Mulieribus  
 prohibuit, iuxta Decr. Trid. Conc. ſeſſ. 25. de  
 Regul. c. 5. Ingreſſum in dicta Monasteria  
 ſub pœna Excommunicationis latæ ſenten-  
 tiæ, reſeruati S. Pontifici, præterquàm in  
 mortis articulo, tam contra introducentes,  
 quàm contra ingredientes, & ſuſpenſionis,  
 ac alijs in Bulla ſpecificatis, niſi prius ha-  
 beatur aliqua neceſſitas præſens, in qua poſ-

LXXXIII.

*Clauſura  
 Monial.  
 quoad in-  
 greſſum  
 Virorum.*

se Superiorem tunc licentiam concedit ipse cum Tridentino.

Sunt & alia plurimæ aliorum Pontificum & S. Cong. propterea factæ Ordinationes, super quibus innumeræ quoque extortæ sunt quæstiones & Doctorum Tractatus; verum quia illas in partibus nostris vsu non esse receptas ipsa perhibet experientia, saltem in plerisque Conuentibus, atque in his etiam diuersimodè, prætermissis illis, ponam ea, quæ nos Capucinos propriè concernunt, pro alijs, videtis Laym. supplicat.

**LXXXIV.** 84. Itaque præter alias Pontificum Dispositiones interdicitur nobis Minoritis ex ipsa Regula c. 11. *Ingressus in Monasteria Monachorum*; quo nomine, iuxta P. Politium in illum locum, intelliguntur quarumcumque Monachorum seu Sororum Cœnobiorum, & Tertiariarum religiosarum collegiatarum, Regularem vitam Canonice profitentium, siue inclusa sint, siue non; quantum ad Claustrum & officinas interiores, vti declarauit Nicol. 3. in c. *Exiit*. hoc est, vbi absque pariete vel crate intermedia Moniales conuenire solent. *Ad loca autem Interiora domorum ait ibid. n. 10. P. Polit. vbi Mulieres (quamuis Bizocha seu Tertiaria sint) collegialiter absque Vlla tamen Canonica professione conuiuant.*

*Nomina-  
tim de FF.  
Min. se-  
cundū Re-  
gulam.*

conuiuunt, non videtur ex hoc Regula precepto, nec ex Pontificum declarationibus seu prohibitionibus interdictus ingressus. Quia huiusmodi mulieres vera Monacha non sunt, cum sub nulla Regulari canonica Professione viuunt; sicuti vera Moniales, atque etiam tertij Ordinis Sorores viuunt, quæ sub similitudine Monasterij Regularis in congregatione conuiuunt sub canonica tertij Ordinis professione, vt ex B. Ioan. Capistr. in fine c. ii. colligitur, & ex Cordub. hie q. 2. habetur expressè. Ratione tamen periculi, vel scandali, tenemur ab earum ingressu, & familiaritatibus frequentibus, seu suspectis cauere, sicut à suspectis consortijs aliarum quarumcunque personarum. Hæc ille. Ex quibus manifestum etiam fit, cum Prænobiles virgines Collegiorum Lindauij, Andelauij, &c: Regularem Professionem nõ emittant, & absque omni clausura vitam communem ducant, ingressum in earum Collegia aliter prohibitum non esse, quàm si scandalum aliquod, vel suspecti consortij foret periculum.

85. Notandum etiam hie est ex Cordub. in Comp. Priu. ad V. Ingressi Monast. quoddam hospitium ad tempus breue transeuntium, non dicuntur domus, aut domicilia seu habitacula personarum; Ided quando aliquæ Moniales hospitantur in aliqua do-

LXXXV.  
Clausura  
Hospitiorum  
Monialium.

mo Sæcularium ad breue tempus, quia non sunt ibi mansionem longam facturæ, non prohibetur nobis ex vi prædictæ prohibitionis Regulæ (de non ingrediendo Monasteria & habitacula earum) illuc introire, & loqui cum ipsis Monialibus, nisi (vt dictū) aliundè sit scandalum aut periculum, &c. Quod sit breue, aut longum tempus, videtur Barbos. de Dict. Dictione. 90. vbi dicit particulam, *Diu*, interdum significare tempus decennale, quandoque 4. 2. vel etiam Vnum annum. Denique ad arbitrium boni viri. In proposito Videtur breue tempus esse, quandiu morantur alicubi animo non manendi stabiliter.

LXXXVI. 86. Potrò quod in Regula subiungitur: *nisi à Sede Apostolica fuerit licentia specialis, &c.* hoc vult, fratribus Minoribus ad ingrediendum eiusmodi loca, non sufficere generalem illam facultatem, quã cæteris Christianis, Clericis aut Religiosis, ratione utilitatis aut necessitatis, spiritualis vel corporalis, talis ingressus conceditur, vt Visitatoribus, Confessarijs, Medicis, &c. sed necessum esse, vt specialis pro Minoribus fratribus facultas fiat, vel quod in speciali fiat mentio de illis, vel quod constet aliquo modo de intentione Papæ, ad id præfatis fratribus facultatem indulgentis, alioquin contra

LXXXVI.  
Licentia  
specialis  
Apostoli-  
ca pro Mi-  
noribus.

contra Regulam peccarent. Propter hoc  
 Regulæ præceptum FF. Minores eligi non  
 posse pro socijs ab Episcopo, vt simul ingre-  
 diantur Monasterium Monialium, sed ad  
 hoc requiri licentiam summi Pont. tradunt  
 DD. apud Gauant. In Manual. Episc. V.  
 Monialium Clausura. In addit. n. 11. P.  
 Politius, in c. 11. Reg. n. 11. qui seq. n. 12. & 13.  
 septem enumerat casus, in quibus ex Apo-  
 stolicis Priuilegijs, specialis facultas Mino-  
 ribus fratribus sit ingrediendi præfata Mo-  
 nasteria, ex quibus tamen vnicus nobis Ca-  
 pucinis in vsu est, quando nostri Confesso-  
 res, in Monasterijs sororum Tertij Ordinis,  
 quarum nos peculiarem Confessionis cu-  
 ram habemus, vti sunt Lucernenses, Solo-  
 dorenses, Friburgenses Nunt Vranien-  
 ses, & Subsylvanz, quæ strictam clausuram ser-  
 uant, ad fenestellas infirmiorum confes-  
 siones excipere nequeunt, quibus proinde li-  
 cet ad eandem Clausuram ingredi pro ad-  
 ministratione Sacramenti Pœnitentiæ (re-  
 linquendo curam aliorum scilicet Eucharis-  
 tiæ & Extremæ Vnctionis propriis earum  
 Sacellanis, seu locorum Parochis.) Idque  
 non solum, quando Monialis ex præcepto  
 confiteri tenetur, sed etiam dum id facit ex  
 præscripto Regulæ seu statutorum, vel ex  
 peculiari deuotione vel consolatione. P. E-  
 ligius

ligius *V. Clausura. n. 8.* Eandem gratiam nobilissimè in Comitij Generalibus *An. 1656.* obtinuerunt etiam reliquæ Sorores, quarum alioqui (cùm Clausurā aded strictam non habeant) Confessoris curam nos gerimus, ita quòd nobis ordinariè sua peccata confiteri soleant. Ita concessit Illustrissimus ac Reuerendissimus D. D. Federicus Borromæus Patriarcha Alexand. pro tempore ad nostras partes Nuncius Apostolicus, ad quem Generalis Ordinis Definitio negotiū hoc remiserat.

LXXXVII. 87. Ingressui Monasteriorum Sæcularium Bonifac. P. adiungit accessum ad easdem; quem quidam volebant etiam superius allegato Regulæ præcepto comprehendendi, sed contrariū omninò tenendum est cum P. Polit. *cit. n. 14.* & P. Bassæ, *V. Clausura. n. 10.* quia diuersa omninò sunt Ingressus, & Accessus. *Accessus* enim tunc dicitur, quando frater vadit tantum ad crattem, vel ad locutorium, vel domum hospitum, vel Ecclesiam exteriorem. In dicto verdè *c. ii. Reg.* dicitur: *Fratres non ingrediuntur Monasteria Monachorum, &c.* nullà factà mentione de *Accessu*. Quicquid autem sit de præcepto Regulæ, vel etiam declarationibus, seu Ordinationibus variorum Pontificum circà illum Regulæ textum; In-

LXXXVII.  
*Accessus  
ad Mona-  
stera Mo-  
nialium.*

ter alias multas etiam factas propterea Inhibitiones, obseruandum singulariter est Decretum S. Cong. An. 1590. vt nulli posthac Religioso (ita verba sonant) cuiuscunque Ordinis, gradus, qualitatis & dignitatis existas (Superiore, cui Monasterij seu Domus cura incumbit, Confessario Ordinario & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat absque licentia expressa S. Congregationis accedere ad Monasteria, seu domus quarumcunque Monialium, vel Sororum, siue sui, siue alterius Ordinis. Quod si aliquando, mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium seu Sororum Ecclesijs, siue Oratorijs exterioribus, siue extra Clausura existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt ne dicti Religiosi vlllo quafito colore, Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam, intrâ Clausuram alloqui possint, &c. Circa hoc Decretum cum aliqui dubitarent, num obligaret sub mortali, eò quòd lex pœnalis ex probabili sententia, non obliget in conscientia ad culpâ mortalem. S. Congreg. sub die 1. Iul. 1606. declarauit obligare etiam ad mortale.

88. Præfatum Decretum de non accedendo ad Moniales sine licentia S. Cong. vel Episcopi, non esse vsu receptum in Germania, Gallia & Belgio testatur Bassæ. cit. *LXXXIII*

*Quomodo concessus Capucina*

n. 13. Et apud nos per experientiam conſtat, nam ſæminæ & viri, præſertim laici, ſine ullo conſcientiæ ſtimulo ad Monialium Monasteria accedunt. Imò apud multos etiam Religioſos non eſt in obſeruantia, nec aded propter uſum contrarium obligat. Apud PP. tamen Ieſuitas & Capucinos etiam vltromontanos eſt in viridi obſeruantia, qui proindè procurârunt dictum Decretum relaxari, quantum ad Viſitationes & colloquia Monialium, vt eas iuxta Catholice fidei dogmata inſtruere poſſint, tum publicè, tum priuatim, dummodò Religioſi dictorum Ordinum id non faciant, niſi impetratâ & ſcripto expreſſâ Superiorum ſuorum facultate, vt habet Epistoſa Card. Alexandrini ad P. Prouincialem Capucinorum in Heluætia, quæ apud nos extat authentica ſequentis tenoris.

R. P. Nunquam fuit animus aut conſilium Illuſtr. Card. qui mecum in hac Congregatione præſunt Ordinibus Regularium, vt quæ ipſi ſaxerunt ad conſeruationem diuini cultûs, religioſiſque inſtituti obſeruantiam, contrarium vilo modo ſortiantur effectum, propterea cum abundè cognouiſſent, quem fructum edant in illis partibus Germania & Heluætiarum PP. Societ. Ieſu, & Capucini, ſuis documentis & exhortationibus, quas interdum habent ad Moniales,

quarnt



uarum Coenobia hereticorum faucibus sunt ex-  
posita, statuendum iudicarunt, vti per has litte-  
ras statuunt & declarant; Decreto, quod Regu-  
laribus interdicit Vistitationes & colloquia Mo-  
nialium, minime comprehendendi predictos PP.  
Societatis Iesu, & Capucinos, in istis nimirum  
partibus Germania & Heluetiorum, quo minus,  
cum ad eas venerint, Moniales vistitare, ac iux-  
ta Catholica fidei dogmata instruere possint, tum  
publicè, tum priuatim: nullâ poenâ ex ijs, quæ  
Decreto continentur, ipsis imminente: dummo-  
do id non faciant, nisi impetratâ & scripto ex-  
pressa Superiorum suorum facultate, &c. Roma  
2. Maij. 1592.

Similem Epistolam ab eodem Card. A-  
lexandrino ad P. Oliuerium Prouincialem  
Societatis Iesu in Flandria datam refert P.  
Elig. l. c. Et per communicationem extendi  
ad omnes illas Prouincias, in quibus eadem  
militat ratio dispensandi, vt sunt Gallia, &  
Germania. Cumque epistola loquatur de  
Prælatis in communi, licentiam in scriptis,  
quam exigunt Cardinales, posse dari à Præ-  
lato locali, nisi RR. PP. Generales & Pro-  
uinciales hanc licentiam à se concedendam  
reseruent, vt quidem reseruatam esse Pro-  
uincialibus, præter vsum Prouinciæ nostræ,  
testantur litteræ datæ ad nostros Patres, tum  
P. Anselmi Monopolitani sub 30. Maij. 1603.

K

tunc

tunc temporis Procuratoris Ordinis, poſtmodum verò S. R. E. Cardinalis, tum alia P. Honorati Pariſienſis Definitoris Genetalis, qui de praxi præmemorati decreti à noſtris conſultus, ita reſpondit:

LXXXIX. 89. Circa Monialium allocutionem Praxiſ hæc eſt, vt nullus fratrum, ad Monasteria Monialium eas allocuturus accedat, qui à R. P. Prouinciali ad hoc, ſiue abſolute, ſiue indeterminate vel determinate, hoc eſt, pro illa vel pluribus vicibus licentiam in ſcriptis non habeat, quam haud dubie ipſe Prouincialis proſe, imò in ſe tanquam in fonte habet, quamdiu eſt Prouincialis. Huius autem praxiſ ratio eſt exceptio quadam ab Illuſtriſſimis Card. qua FF. Capucinos Ultramontanos excipit ob fructum, qui ex eorum colloquiis, Monialium Monasteriis aduenit, ac ſufficere aiunt, vt dictam licentiam à P. ſuo Prouinciali in ſcriptis habeant, & de huiusmodi praxi ac eius fundamento, nulla vnquam à PP. Italis, ſatis aliàs in ſimilibus materijs accurate procedentibus, facta eſt difficultas. Quoad verò modum colloquendi haud dubie extra Clauſuram Monasterij, hoc eſt, extra Clauſtrū & omnes interiores officinas eſſe debet, prout ex Regule Expoſitoribus patet. Et licet aliquando huiusmodi loca tam peruia ſint Sæcularibus, vt quaſi publica cenſeantur, nobis tamen tales abusus in nullo fauere poſſunt, vt eos ſequamur.

Quod

LXXXIX.  
PRAXIS  
EJUSDEM.

Quod tamen domus, qua in quibusdam Monasteriis Vocantur Abbatiales, in quibus scilicet Abbatissa extrâ Clausuram Monialium moratur, dormit, comedit, & quoscunque aduenientes excipit, cum prædicta licentia ad illas accedere, & in illis, Monialibus loqui, licere semper reditum fuit, & ita ab omnibus Religiosis reprobatis PP. Iesuitis, Minimis & aliis vsu confirmatum. In hoc tamen magna semper fuit adhibita cautela, ne scilicet tam facilis ad Moniales in talibus domibus alloquendi deesset accessus, sicut ad alias, in quibus inter colloquentes orates erronea intercedunt. Imò etiam consideratâ quietate Monialium, aliquando per Ordinationes Prouincialium Capitulorum omnimodus prohibitus est accessus, &c. Lutetia Non. Jul. 1619.

90. Cum porro sæpè sæpius contingat fratres nostros itinerantes, ad Monialium Monasteria deuenire, dubitatum idcirco atque etiam declaratum à Patribus Prouinciarum, præsertim verò R. P. Matthia ab Augia diuine (aliàs, cum omni virtutum genere insignitus periculossissimo belli Sueco-Germanici Prouincialatum agens decimū sextum, in hoc singulariter genere Zelantissimus esset) in quadam Visitatione, fuit, posse Fratres nostros ad eiusmodi Monialium cœnobia diuertere, sicut & ad aliorum Benefactorum aedes, prandere, atque etiam

XC.  
*Speciatim  
quoad Itinerantes,*

pernoctare, quanquā nullam à Superioribus licentiam in scriptis haberent, in locis hospitio aduenarum Sæcularium deputatis; nec non & in his, Monialibus, quæ quandoque ad hospites excipiendos & vnā conuiscendum à Superioribus destinantur, colloqui, modò ipsi fratres ad Claustrum seu crates & locutorium non conuerfentur, vel aliquam earum venire aut mitti propterea non procurent.

## CONFESSARIVS.

91. *Pralati sibi subditorū confessiones excipiendi potestatem habent ordinariam, quam idèò delegare possunt, atque etiam debent alijs.*
92. *Deputatio Confessorum fit à tota Definitione: In casu necessitatis à Guardianis.*
93. *Determinatio Confessorum fit ad certum locum & tempus.*
94. *Liberum est cuius eligere Confessarium ex electis: semel electum absque licentia mutare non licet.*
95. *Pralatus inferior & Vicarij quando delegare suam Iurisdictionem possint. Definitorum Generales excipere valent Confessiones per rotum Ordinem: Prouinciales per totam Prouinciam.*

96. *Itine*